# THEOREMATA CHRONOLOGICA. DE ANNIS MYSTICIS, QUÆ EX INDULTU AMPLISSIMÆ...



# I. N. D.

QVanti temporum computus inde à Veterum memoriâ æstimatus, quantaq; difficultatis judicatus sit, vel ex eo colligendum datur, quod Populorum Hierophantes, Sacerdotes Vates, Brachmannes &c, utpote qui reliquos rerum scientiâ anteire æstimabantur, in eodem se exercuisse perhibeantur. Et verè rerum Chronologicarum difficultas in vigore summorum ingeniorum suam exercuit vim, adeo quidem, ut nec hodienum dubiis sine possimus manere: quæ quidem numerosâ forent persequenda oratione, ni antipagmenti angustia id prohiberet. Unum autem ex tantâ copiâ non animô refutandi, sed nos ingenue exercendi depromemus; nempe illud ipsum, quod Dn. Heinlinus b. m. in scriptis suis, cumprimis vero in Clavi temporum sacrorum, nec non Vindiciis de formâ annorum mysticâ proponit ac eruditorum choro exponit. Temporum Sol nos illuminet & inviâ veritatis informet!

I.

De mystica divinorum annorum formâ Heinlinus ita sentit: Deum cum majora temporum metiendorum systemata condere vellet, præter dies à cœli motu primo dependentes, motum cœli prorsus neglexisse & ad septenarium numerum sese convertisse, ac septimum diem septimanæ sacrum esse voluisse, procul dubio inter alias & hanc ob causam, ut nobis septenarium numerum commendaret, cumprimis, quod ille ipse annorum hebdomades nimirum Periodum Sabbathicam & ex hâc 7. multiplicatâ fluentem Periodum Jobelæam instituerit insuper in incarnationis filii sui mysterio per solas annorum hebdomades Dan: 9. tempora metitus sit: Item Tempus memoriale quietis divinæ habere ex instituto divino hanc inseparabilem proprietatem, ut sit multiplex illius temporis. Hinc septenarius seu Radix in se ducta producit 49 d. scilic. mensem mysticum, qui cum 7 multiplicatus efficit 343 d. sive annum mysticum. Hanc formam anni vult autor non esse quærendam; in annis civilibus quia pendeant ab instituto divino 2. oriantur ex plenitudine scientiæ divinæ 3. sint perpetui & constantes 4. omnis vitii

expertes, cum contra omnes civiles sint arbitrii humani, dein ex Astronomiæ veræ ignorantia orti, mutabiles & inconstantes ac deniq; vitiosi. Quantitas autem horum annorum probatur inde, quia annus Sabbathicus nec major nec minor esse debeat, quam tempus laborum & fructuum τῆς γεωργίας, istud tempus autem minus quam 366 ac majus quam 49. esse necesse sit. Tandem res eo abit, quod in annis Sabbathicis & Jobelæis nulla forma quâ mystici anni locum habere possit, idq; confirmari quia eventus maximè memorabiles in tales annos civiles incidant, qui cum mysticorum septenariis aut iidem aut iis quam proximi sint. Hactenus Hainlinianæ hypotheses. quæ examinandæ erunt.

2.

(1.) Tantum abest, ut neglectus ille motus Luminarium in Scripturis fundatus sit, ut potius contrarium, tum ex ordinatinatione divinâ Gen. 1. v. 14, Ps. 104. 19. descriptâ, tum ex non facta reprehensione divina computi Judaici in annis ordinandis Ecclesiasticis colligi possit. Judæos verò in his respexisse Luminaria. Excell. Dn. Strauchius Præceptor meus ætatem devenerandus, cum alibi tum inprimis in Dissertatione de anno Ebræorum Ecclesiastico accurate probat.

3.

Deinde etsi Deus, die septimo ab opere creationis cessans, nobis septimum ad sanctificationem commendavit diem: non tamen ipsũ numerum septenarium ad calculum Chronologicum instituendum observare præcepit, nisi mallemus conjecturis niti, quam verbis Spiritus S. apertis.

4.

Porro est quidem proprietas memorialis temporis quietis divinæ, ab opere creationis, multiplicabilitas, quâ hebdomades dierum, ut ex commendatâ septimi septimanæ cujusvis diei sanctificatione manifestum est; ad menses tamen & annos se non extendit, ita ut septem hebdomades mensem & septem menses annum ex intentione divina constituere debeant.

5.

Deum etiam in memoriam quietis suæ annum Sabbathicum & Jobelæum ordinasse, ut quemadmodum ipse sex diebus hoc mundi exstruxit & exornavit theatrum, septimo verò die quievit, homines etiam ad imitationem præcepto adegit: ita Israelitæ possessores hæreditarii terræ Canaan sex annis eandem colere & servitutem ac debitum

bitum

bitum à servis debitoribusq; exigere, septimo autem ab hisce qui-
escere debeant, probabiliter dicitur: non verò legimꝰ indigitatum,
adeò rigorosè in annis sacris septenarium observandum esse, ut an-
nus Sabbathicus ex septem mensibus ejusmodi, qui ex radicè sive se-
ptenario in se ducto ortum trahant, constet.

6.

Deniq; res est maximè controversa de septenario annorum Jobelæorum numero, cum juxta nonnullos, quod in confesso est, quinquagesimus annus Jobelæus sit. Concedamus tamen quemvis quadragesimum nonum esse Jobelæum, non tamen rectè colligitur: Quicunq; sancivit ut non tantum septimus quisq; dies, verum etiam ut septimus annus nempè Sabbathicus & septies septimus, Jobelæus nimirum, sanctificetur; adde qui etiam in mysterii incarnationis annorum revelatione septenarium adhibet, ille in computo temporum omni unicè septenarium numerum attendendum cupit, ita ut septem dies in se ducti constituant mensem & septies septem menses annum, ac si consequenter. Non enim quò aliquis delectatur aut frequenter utitur, illud semper ipsum observari velle colligendum est, nisi hanc suam mentem esse, verbis manifestis declaret.

7.

Hactenus de principio quasi materiali & Radice annorum mysticorum, sequitur de forma sive dispositione eorundem, circa quam expendendum partim, num sint præcisè 343. dierum vel an hæc legitima quantitas annorum sit, partim an anni Sabbathici & Jobelæi non sint quærendi in annis civilibus, partim deniq; num hæc forma sit annorum Sabbathicorum & Jobelæorum.

8.

Primum si probatur per hoc, quod annus Sabbathicus nec major nec minor esse debuerit quam tempus laborum & fructuum τῆς γεωργίας & quod hoc nec majus nec minus esse potuerit quam 343 dierum, committitur petitio principii. Magis probabile est ad benedictionem divinam esse respiciendam. Hæc autem tempus laborum vel auxit vel minuit, ita ut, agricultura & satio licet æquale tempus requisiverint, messis tamen trituratio & vineæ putatio uvarum collectio & expressio nunc majus nunc minus tempus postularint. Dein probatio, quod nempè tempus majus esse debeat quam 49 & minus quam 366 nititur duplici falsa hypothesi, tum quod 49 dies men-

menſem conſtituant, cum tamen ejusmodi menſis nec in natura nec in Scriptura fundatus ſit; tum quod anni Sabbathici non in vulgaribus annis quærendi ſint, de quo poſtea.

9.

Ad alterum reſpondemus, hanc collectionem in conſequenter inſtitutam eſſe: In quodcunq; illa quatuor requiſita quadrant, quæ theſi prima ponuntur illud in annis civilibus quæri non debet. Feſta enim Paſchatos, Pentecoſtes, Scenopegias ſunt divini inſtituti, oriuntur ex plenitudine ſcientiæ divinæ, ſunt perpetui & conſtantes, omnisq; vitii expertes. Ergone in annis vulgaribus non ſunt quærendi, Concluſio eſſet contra ipſum Heinlinum. Dein annos vulgares vel diſpoſitionem eorundem eſſe humani arbitrii eſt contra Dei ſanctionem, qui annos à menſe certo incipiendos mandavit, duodecim menſib. definivit Exod. 12. 2. feſtaq; ad eosdem alligavit. Tertiò ſi anni, qui ex ignorantia veræ Aſtronomiæ proveniunt, rejiciendi ſunt, multò magis anni myſtici erunt rejiculi, quia hi prorſus nullum habent ſundamentum Aſtronomicum. Deniq; hæc requiſita annis myſticis convenire negamus, nam (1.) non pendent ab inſtituto divino, quia nuſpiam Scriptura horum mentionem facit, quæ tamen unicum hujus rei eſſe deberet principium: hinc ab autoritate negatâ hic rectè concluditur. Quæ autem prætexi ſolet autoritas divina nititur falſa hypotheſi, ſacros annos eſſe myſticos. (2.) ex plenitudine ſcientiæ divinæ profectos eſſe nemo negato primo requiſito aſſeret. Præprimis cum adſit (3.) maxima mutabilitas, quandoquidem principium eorundem per omnes menſes vagatur. Et (4.) Si illi anni vitioſi judicandi, qui non exactiſſimè per omnia cum motu cœli coveniunt, quomodo iterum anni myſtici absq; vitio eſſe poſſunt.

10.

Tertium (1.) non poteſt conſiſtere cum fixo annorum Sabbathicorum & Jobelæorum principio Lev. 25. 9 notato, quod fuit 10 dies תִּשְׁרִי. Nam קֹדֶשׁ non h. l. celebrationem & ſanctificationem ſed promulgationem ſaltem ac denunciationem notare probatur quidem ex certitudine annorum myſticorum ſed fruſtra. Certitudinem enim nullam agnoſcimus deficit enim divina autoritas, de qua in præced. theſi dictum & omnis vacillat ex S. literis demonſtratio, vaticiniorum etiam extra Scripturas apud Hebræos quæ leguntur de temporib. Meſſiæ diſcrepantia ab annis vulgaribus nos non turbat

bat, siquidem illa non à θεοπνεύστοις edita viris. Harmonia verò, quæ maximè rem hanc fulcire deberet, annorum mysticorum cum Julianis in eventibus præcipuis sacris partim communis est aliis Chronologis in supputatione communi, partim ruinoso nititur fundamento. Fundamentum est annum excidii urbis & templi Salomonici fuisse Jobelæum, Hoc solet ex Jer. 34. 10. probari sive ex ibidem assertâ universali servorum manumissione & voce דרור. At Exod 21. 5. etiam de anno Sabbathico servorum dimissio dicitur cum additamento, nisi servus in domo Domini manere malit quam in libertate degere: imo in ipso textu Jeremias septimum annum addúcit. Vox דרור notante Buxtorfio, in genere quamcunque libertatem notat, ideoq; ad solum annum Jobelæum restringi nequit. Hoc fundamento remoto ipsa harmonia tollitur, quod confessum.

11.

2. Adversatur eidem collatio annorum Sabbathicorum cum annis γεωργίας argumentamur: Quales fuere anni γεωργίας tales quoq; fuere Sabbathici. Anni γεωργίας fuere vulgares. E. & tales fuere Sabbathici. E. non fuerunt mystici.

Majoris connexio probatur: Quicunque anni ratione laborum γεωργίας æquiparantur, illi habent eandem formam sive dispositionem: Anni γεωργίας & Sabbathici ratione laborum γεωργίας æquiparantur. E. Minorem primi ratiocinii ipsa ratio agrum colendi probat; quippe quæ requirit stata tempora & tempestates.

12.

Menses cùm constituant annum ex natura sive formâ mensium argumentamur: Cujuscunq; anni Menses non sunt mystici, h.e. ex septenario in se ducto fluentes, illi ipsi anni non sunt mystici.

Ratio est, Quale non est principium tale nec principiatum. Annorum autem Sabbathicorum menses non fuerunt mystici. E. Nec ipsi anni Sabbathici erunt mystici.

Minor stabilitur sequentibus: (α) Quales fuere menses annorum γεωργίας tales quoq; fuere menses annorum Sabbathicorum vith. 11. Menses annorum γεωργίας fuere vulgares itidem ex th. 11. E. & menses annorum Sabbathicorum; E. non mystici fuerunt.

(β) Quicunq; ad celebrationem Paschæ observarunt Lunam illorum menses non fuere mystici, quippi cum hi nihil commune habeant cum motu Lunæ.

Judæi

800.

Judæi celebrantes Pascha observarunt, E. anni ipsorum non fuere mystici. Minorem inde firmam reddere possumus quod Paschatos festum decimo quinto à novilunio die celebrare divina lex ordinarit; in hunc ipsum autem incidisse plenilunium quantitas mensis lunaris evincit.

Nec tollit vim argumenti illud, quod festa annis civilibus fuerint alligata quodq; ratio temporis horum festorum in annis mysticis quærenda sit. Nam (1.) distinctio inter festa & rationem temporis horum festorum absq; ullo fundamento saltem excogitata est, ut salvum maneat mysterium annorum mysticorum. (2.) non concedi potest quod festa annis civilibus in rigore talibus fuerint affixa, habuerunt enim Judæi ex ordinatione divina annum Ecclesiasticum & in hoc sua festa. (3.) Si ratio temporis festorum in annis mysticis quærenda, deberet ostendi proportio festorum in septenario fundata.

14.

(4.) Annorum mysticorum cum annis vel indubitato vel ex confesso Sabbathicis collatio hanc formam respuit. e.g. Annus Ezechiæ Regis Judæ 15. fuit Sabbathicus, quod patet tum ex 2. Reg. 19. v. 29, tum ex confessione B. Heinlini. Ex illo, quia decimo quarto anno regni Ezechiæ advenit Rex Assyriæ Sanherib oppugnandum urbes Judæ c. 18. 13. & Jerusalem. ibidem ac c. 19, ideoq; hoc anno comederunt sponte germinantia ob belli injurias, sequenti verò etiam nec metere nec serere potuerunt, dicit quippe divinum oraculum & hoc anno sponte germinantia esse comedenda & tertio demum esse agrum colendum, annus ergò secundus fuit Sabbathicus. Ex hac, quia retrogradationem solis hoc anno incidisse fatetur. Hic autem annus fuit mundi 3234, cui respondet in Per. Jul. 3997. Cum hoc conferatur annus excidii templi Salomonici, qui ex testimonio multorum fuit Sabbathicus & ex confessione Dn. Mœplini & Dn. HeinlinI 49 in cyclo Jobelæo. Hic fuit annus mundi 3359, ex domestico testimonio cui respondet. in Per. Jul. 4122. Subtractione facta 3234 à 3359 vel 3997 à 4122 remanent 125 anni, qui 31. Lustra & an. 1. conficiunt, dies 45656. Hi divisi per puantitatem cycli Sab. mystici 2401 reliquunt 37. sicut nec hunc numerum exactè metiuntur 49 & 7. E non conveniunt semper in eventibus præcipuis anni mystici cum vulgaribus.

F I N I S.